

des, quibus fœcunda erat Germania, teste TACITO *de M.G. c. 5.* tum silvæ, quæ densissimæ erant, ideoque ad feras alendas maxime accommodatæ. Vino homines ad laborem ferendum remollescere arbitrabantur. Potus igitur, quo utebantur, erat aqua, ex hordeo & frumento corrupta. Neque majus vestibus statuebant pretium. Venationes enim, quibus cibum conquirebant, vestimenta etiam fuggeriebant. Pellibus enim ad corpus aliqua ex parte tegendum utebantur, & locupletissimus quisque a pauperrimo non aliter distinguebatur, quam veste paulo curatius confecta, singulosque artus exprimente.

VI.

Vides igitur, rebus ita comparatis fieri non potuisse, ut mercatoribus exteris aditus esset ad majores nostros, qui ab omni luxu, splendore, & voluptate, adeo erant alieni, ut auctore TACITO *de M.G. c. 20.* ne dominus quidem a servo educationis deliciis dignosci posset. Neque erraverim, si, inter ipsas Germaniæ diversas civitates quicquam commerciorum fuisse, negem, cum patria terra tantum cuique civium suppeditaret, quantum appetebat, ut adeo rebus exterarum gentium tanto facilius carere potuerint. Non est nostrum in præsentiarum, inquirere, bene an male sic sibi consuluerint veteres Germani. Id saltem exinde probare volumus, deficientibus commerciis, nec vectigalibus, quæ a mercatoribus, merces vel importantibus, vel exportantibus, pendunt, locum esse potuisse, multo minus autem vias publicas per Germaniam jam tum designatas fuisse.

VII.

Mutato vero Germaniæ statu, pluribusque minoribus populis in unam Francorum gentem coeuntibus, majorem commerciorum usum esse coepisse, & vectigalia quoque constituta fuisse, evidentia scriptorum testimonia declarant. Ut enim taceam commercia, quæ jam Merovingorum regum temporibus floruerunt, quorumque nomine vectigalia con-

con-